



Die  
ss

not

#

DE NATVRALI THEOLOGIA  
 PROLVSIO  
 DE  
 NATVRALI THEOLOGIA  
 M. TVLLII CICERONIS  
 SECTIO III. IIII. V. VI

---

QVA  
 EXORNATORES REI SCHOLASTICAE  
 FAVTORESQVE  
 AD  
 ACTVM ORATORIVM

A. D. X APRIL. HOR. X IN SCHOLA SENATORIA

SUSCIPENDVM

OBSERVANTISSIME INVITAT

M. CONRADVS NAHMMACHER  
 RECTOR SCHOLAE OPPIDANAЕ HELMSTADIENSIS ET  
 COENOBII MARIAEVALL. SVBPRIOR

---

HELMSTADII  
 LITERIS DRIMBORNIANIS

PROLUSIO

NATURALI THEOLOGIA

M. TULLI CICERO

SECTIONE IIII A VI

242

EXORDIUM REI SCHOLASTICAE

THEATRISCGAE

AD

VCTAV ORATORIUM

A.P. X. ANNET. H. XI. SCHOLY SINTOLOI

SCHOLIA IN PLATONIS

PHYLAKYNTES IN PLATONIS

M. CICERO NATURALIS THEOLOGIA  
EXPOSITIO ET COMMENTARII  
COPPIA MATERIALE

HERMISTON

LITERA DILIGENS CIVITATIS

# DE NATVRALI THEOLOGIA

M. TVLLII CICERONIS

## SECTIO II

### DE CONCEPTIBVS DEI SECUNDIS

#### CAPUT II

#### DE DEI INTELLECTV

I

**D**eus non modo omnia quando eueniunt perspicit, (*liberam Dei cognitionem vocant;*) sed ea etiam, quae olim fient, intuetur. **CICERO** id totidem verbis affirmat: *Deus, inquit, omnia tenet, quae futura sunt.* Probat hoc inde; quod *colligationem causarum omnium perspicit.* (a) Ac poterat etiam hoc sine ulteriori demonstratione ab eo sumi: quum iam euicisset, nihil obscurum Deo esse. Consequitur autem inde etiam hoc: fieri omnia, quae Deus praeuidit, oportere. Itaque **CICERO**, *nihil profecto eum, inquit, qui cognoscit iugatas rerum caussas, fallit.* (b) Pergam ad quaestione, quae intime est cum hac coniuncta. Nempe quaeritur, num Dei praescientia vim inferat homini, pro suo arbitratu agenti, nec ne? vel, vt clarius dicam, num hominum actiones, ex libertate profectae, tales etiam esse, posita Dei praescientia, possint? **CICERO** suam de ea re sententiam praceptionibus inuoluit. qualis est haec: *committendum non esse, vt aliquis, quae ceteris exitiosa fore crediderit,*

A 2

ca

(a) *De Diuin. Lib. II. cap. 56*

(b) *Ibid*

III  
ea ipse prosequatur; neque enim in spem venire posse, deos ignoraturos esse, quae ipse agat, quum diuinam naturam nihil praeterire credibile sit. (c) Non enim poterat CICERO praecipere, hoc esse illudie agendum, si libertatem hominum Dei praescientia, quam asseruerat, eleuari ac auferri fuisset opinatus. Itaque summis Philosophus, nihil omnino Dei cognitionem hominum in agendo libertati officere, et qui posset aliter? quum dixisset, ea, quae olim euenient, caussis antecedentibus cognosci: iam vero, quum quaevius actio spontanea suam habeat causam in consideratione obiecti et rei patrandae, futurum esset, ut homo hoc, non aliud quid, pro sua ageret libertate; quantumuis id ante cognitum a Deo non fuisset. Igitur, quum actiones hominum liberae non ex Dei pendeant praescientia; nec per eam in necessitatem verti poterunt. Iam de Dei earum rerum cognitione, quae possunt quidem fieri, sunt autem nunquam, ac earum etiam, quae non nisi interueniente quadam conditione effectui poterant dari; seorsim CICERO ac ex instituto non expofuit. Sed generatim omnem ignorantiam a deorum natura alienam (d) esse ostendit

## VI

QVVM autem omnium quae sunt et possunt esse cognition ad Deum pertineat: conficitur inde, omniscium esse Deum, vel ut CICERO ait, omnia tenere (e)

## VII

DEVM omnia in hac rerum molitione ad finem quendam referre, certum omnino est. CICERO id ipsum hunc

(c) *Consolat. Op. Tom. IIII, p.325* (c) *De Diuin. Lib. II, cap. 56*

(d) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 31*

hunc in modum demonstrat: Si Deus aliquid nullum in finem effecisset; aut ignorasset eum: aut frustra quid egisset. Sed neutrum in Deum cadit: nam intelligit omnia et penetrat; nec frustra, ac sine causa quid facere dignum Deo est: quod abhorret etiam ab hominis constantia. (f) ergo quicquid agit Deus, id refert omne ad eum quem intendit finem. Obmouet autem CICERO istud argumentum his, qui vniuerse somniis diuini quid inesse putabant. Excipit enim, finiri non posse, in quem finem somnia a Deo hominibus impertiantur: quum parum ea homines current; et ut plurimum somno soluti ne sciant quidem, ut fuerint comparata. Ceterum finis est CICERONI id, ad quod aliquid refertur. (g)

## VIII

EST autem ea huius loci obiectatio, quando inde, quod Deus ad finem omnia optimum dicitur traducere, perperam colligitur: Deo, ante mundum conditum, non omnia, quae ad ipsius perfectionem spectant, fuisse: quae si valeret ratio, eo non tam diu carere potuisset. Alii inde colligunt, Deum ex fine, quem sibi proposuit, tanquam rei ab se alienae alligatum, pendere, quod est praecipitare. Obuertit autem CICERO, ad id mundum esse effectum, quod ratione sapientiae comprehenditur. atque causam adeo, ob quam Deus omnia ad finem quendam transfert, in Dei cognitione ac sapientia sitam esse; minime vero in re a Deo aliena.

## VIII

EX ante commemoratis fluit hoc: esse omnino hunc

A 3 mun-

(f) *De Diuin. Lib. II, cap. 40*

(g) *De Fin. Lib. II, cap. 2*

mundum istud medium, quod Deus ad consecrandum finem suum adhibere voluit. ergo dandum omnino; aptum istud medium praे aliis esse omnibus, et rei obtainendae conueniens oportere: atque adeo eam ob causam, vnum hunc a Deo mundum fuisse delectum, qui fieret; *quoniam aliis præstantior ei visus est.* (h) Immo vero ne potest quidem *nisi pulcherrimum ille, qui optimus est, facere.* (i) nec mediis, nisi maxime idoneis, vti. Plenius autem hoc, si quis sit mundi finis dictum fuerit, intelligetur. Interim tamen id potest anticipari; omnia de isto medio valere, quae sunt medii optimi requisita. Iam, quum sapientia in fine deligendo, ac mediis ad eum referendis occupetur: fieri etiam non potest, quin Deus, qui hunc mundum, qui optime fini suo respondet effecit, sapientissimus sit. Itaque CICERO Deum sua, id est summa ac diuina sapientia instructum esse affirmat. Est autem CICERONI sapientia conueniens actio: (k) atque exinde diuinam Deo sapientiam attribuit, quod omnia conuenienter agit, viamque, quae sine ambagibus deducit eo quo tendit, ingreditur

## X

PHILOSOPHI recentiores, mundum hunc in aliis omnibus, qui a Deo effici poterant, optimum esse, inde colligunt, quod vnum hunc creauit, et medium eum esse rei obtainendae voluit. CICERO autem non penetravit modo eam rem sagacissima mente, sed vindicavit eam quoque ab finistris Epicureorum interpretamentis. *Certe, nihil omnium, inquit, rerum quae esse possunt, melius mundo est, nihil præstantius, nihil pulchrius:* nec solum nihil

(h) Fragment. Timaci cap. III  
(i) Ibid

(k) De Fin. Lib. III, cap. 16

*nihil est, sed nec cogitari quidem quicquam melius potest.* (l) *Scite omnino dictum. At Epicurei inde cogebant hoc: ergo ratione mundus pollet; estque intelligentia praeditus, qua nihil melius esse nihil praestantius potest.* Ut autem **CICERONIS** contra hos disputantis argumenta eo melius penetrare possis, ante dicam quemadmodum *τὸ bonum a CICERONE* finitum sit. Nempe bona ei sunt partim *quae ad finem ultimum pertinent*; partim *quae eundem efficiunt.* (m) *Vnde intelligitur, optimum ei esse id, quod maxime ad finem optimum pertinet, eique ex esse respondet.* Demonstrat autem optimam esse hanc rerum vniuersitatem hac ratione: *Fas nec est, nec unquam fuit, quicquam nisi pulcherrimum et optimum facere eum, qui esset optimus;* (n) *adeoque ex Dei praestantia et perfectione, rerum conditarum praestantiam deriuat.* Iam quo id assertum intelligendum sit, adversus Epicureos hunc in modum exponit: *Negas, ita BALVM, qui insulsas EPICVRI sententias adduxerat, alloquitur, quicquam esse melius mundo, quid dicas melius? si pulchrius assentior, si aptius ad virilitates nostras, finemque Dei obtinendum, id quoque assentior:* (o) *Si vero id tibi vis, nihil esse mundo sapientius, nullo modo assentior.* In his autem *quae consequuntur funditus Epicureorum errorem euertit.* Porro iis, qui negant, hunc mundum esse aut dici optimum posse, propter mala, quae in eo eueniunt, respondet **CICERO:** *Deum bonis omnibus impleuisse mundum; malum autem nihil admiscuisse, quoad natura pateretur.* (p) *Non enim eo sensu hic mundus opti-*

(l) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 7*

(m) *De Fin. Lib. III, cap. 10*

(n) *Fragment. Timaci cap. III*

(o) *De Nat. Deor. Lib. III, cap. 8*

*conf. ibid cap. 9*

(p) *Fragment. Timaci cap. III*

VIII

optimus esse ac perfectissimus dicitur, quod omni sit a malo alienus, (quod tamen non a Deo, vt infra dicam, repetendum est;) sed quoniam optime Dei respondet intentioni

XI

vt iam ad finem, ob quem Deus huius mundi creationem suscepit, redeam; ille ultimus commode finis, secundum notionem a CICERONE suppeditatam, (q) dici potest. Quae autem in mundo ad hunc finem obtinendum faciunt, particulares vulgo fines vocantur: atque hi omnes nexi inter se ac iugati sunt. Enumerat autem CICERO quosdam particulares Dei fines in tertio de Deorum Natura libro (r)

XII

SUNT qui putent, mundum, in quo rarissime portenta patrentur, eo, in quo saepius eueniant, esse meliorum. Eius autem rei apud CICERONEM, nec vola nec vestigium adest. Ac, nisi me omnia fallunt, inde in hoc incideunt scitum, quod mechanicam mundi perfectionem; id est, quando id quod consequitur, ab antecedenti, serie non interrupta, ita ut machinae competit, determinatur, finem esse Dei qua obiectum sumunt. Id vero esse quam putant aliter CHRISTIAN. AVGUST. CRUSIVS (l) demonstravit. Sed quo tandem loco habendi sunt hi, qui usque adeo huic placito indulgent,

vt

(q) *De Fin. Lib. III. cap. 16*

(r) *Cap. 16*

(l) *In dem Entwurf der notwendigen Vernunftvorbrüchten, wiewfern sie den zufälligen*

entgegen gesetzet werden: in der natürl. Theol. cap. III, paragr. 335. p. 622; item paragr. 340, p. 629

vt inde etiam negent, quicquam esse Spiritui Sancto in hominum conuersione tribuendum: nisi vnum hoc, quod scripturae sacrae auctor est

## XIII

IAM dispiciendum est, quis sit Dei finis praecipuus. *Fructus, quos terra, inquit CICERO, gignit, animantium causa; animantes autem, hominum; ut equus ve-*  
*bendi causa; arandi, bos; venandi et custodiendi, ca-*  
*nis.* Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplan-  
*dum.* (t) Ergo nisi quodam suo particulares ad ultimum  
*finem tendunt; quem mundi esse contemplationem dicit;*  
*nempe qua subiectum eo ineat, vt Deus suam gloriam de-*  
*monstret: qua obiectum autem, vt liberas angelorum et*  
*hominum actiones in bonum fleat. Alio in loco Deum*  
*ait in hunc finem vniuersum condidisse, ut homines deo-*  
*rum cognitionem, caelum intuentes, capere possint. (v)*  
*quo id, quod ante dixi, confirmatur. Praecipue autem*  
*probitate Deum esse adductum putat, ut res crearet et spi-*  
*ritus, quibus multa impetrari bona posset. Probitate*  
*Deus praefabatur, ita effert: probus autem inuidet nemini.*  
*Haec nimurum gignendi mundi causa iustissima (x)*

CAPUT III  
DE VOLVNTATE DEI

## I

DEMONSTRATIONI de diuino intellectu, CICERO  
statim considerationem voluntatis diuinae subiicit, his

B

in

(t) *De Natur. Deor. Lib II, cap. 14* (x) *Fragment. Timaei cap. III*(v) *De Natur. Deor. Lib. I, cap. 56*

## X

in verbis : *Credibile non est, deos illa probaturos, a quibus non modo ipsi dii, sed etiam sani homines abhorreant.* (y) Ergo nihil mali Deus vult ; nec probat. Contra, bonum omne et vult et appetit. quod ipsum etiam ex ipsis CICEROVERBIS, si aientem propositionem feceris, intelliges. Sed ipse CICERO alibi id diserte commemorat : ait enim, *Deum constituisse, bonis omnibus implere mundum ; mali autem nihil admiscere.* (z) Abhorret itaque Deus omni a malo ; et voluntas adeo Dei omnium est perfectissima. Notandum autem , voluntatem CICERONI esse id, quod bonam nunc dicimus ac perfectam voluntatem. Nam voluntatem vocat, quod Stoici θέλησθαι appellabant; nempe eam voluntatem, quae aliquid cum ratione desiderat (aa) : vnde etiam Stoici vni eam sapienti tribui posse opinabantur

## II

**Q**VVM Deus hunc esse mundum voluerit; nec potest tamen quicquam, nisi quod bonum est, velle ; et alii etiam esse mundi poterant : consequitur inde, Deum iudicasse, hunc mundum aliis esse praestantiorum. (bb) Atque hinc denuo, quo sensu hic mundus perfectissimus dici possit, perspicitur ; nempe hoc, ut prae aliis *undique aptus atque perfectus, expletusque sit omnibus suis numeris et partibus.* (cc) Atque hinc etiam cogi potest, mundum non esse a Deo creatum , praeterquam unum. qua in causa aduersus EPICURVM, qui intermundia est commentus, defendenda, multis est CICERO. Rectene igitur,

(y) *Consolat. Op. Tom. IIII, p. 325* (bb) *Fragment. Timaei cap. II*  
 (z) *Fragment. Timaei cap. III* (cc) *De Nat. Deor. Lib. II. cap. 13*  
 (aa) *Tusc. Quæst. Lib. I, cap. 6*

igitur, inquit, vnum mundum dixerimus, an sint plures, an innumerabiles dictu verius et melius? Vnus perfecto. Deus singularem, ita enim pergit, hunc mundum et unigenitum procreauit. (dd) Fac autem duo esse mundos: iam ille, qui praeter hunc mundum esset, aut in Deo ut habeat causam; aut in hoc mundo, necessum foret: nihil enim esse iusta sine causa potest. Sed illud non valet: Deum enim praestantissimum modo agere fas est, quum sit optimus: ad huius autem mundi praestantiam non exsurgit alius. Hoc vero prorsus repugnat: siquidem mundi aliquius molitus non potest nisi a necessaria re suscipi. Ac si etiam finges, mundum hunc alius continere causam; ita tamen inter se coniuncti essent, ut vnum tantummodo mundum constituerent. Illud enim vinculum, ut CICERO ait, causarum, ex se, atque de his, quae adstringit, quam maxime vnum efficit. (ee) Vnus ergo mundus est

## III

SVMMA est Dei et consummata libertas; vt pote qui nulli est rei subiectus nulli obediens (ff)

## IV

DICAM nunc de Dei decretis. Decretum autem falsum non esse sapienti non sufficit, sed etiam stable, fixum et ratum esse debet: quod mouere nulla ratio queat. (gg) Haec vniuersitate CICERO de decretis praecipit: sed nunquam hoc vocabulum ad Deum, quantum quidem scio, retulit. Interim tamen ipsam rem aliis verbis satis perspice

B 2

cue

(dd) Fragment. Timaci cap. II  
(ee) Ibid

(ff) De Natur. Deor. Lib. II, cap. 30  
(gg) Acad. Quæst. Lib. IIII, cap. 9

## XII

cue proponit. Ait enim, *constituisse* (hh) Deum, se hunc mundum effectui dare velle. Vnde propositum Dei ac decretum, velle suum de rerum effectione ac existentia, non invito **CICERO**, dixeris. Quicquid autem Deus decernit, optimum est: quod vnu optime rerum pernoscit causas; et ei decernenti momenta voluntatis suppetunt. *Frustra enim et sine causis aliquid agere ac decernere, dignum Deo non est* (ii)

## V

**OMNIPOTENTIAM** Numinis supremi **CICERO** his verbis afferit: *Nihil est, (in his quae fieri posunt,) quod Deus efficere non possit: et quidem sine ullo labore Deus omnia, quae sunt ab omni inde perpetuitate decreta, efficit* (kk)

## VI

**OPTIMUM** pariter **CICERO** Deum dicit: *Nihil, inquietus, ab optimo genitore melius procreatum animo.* (ll) Emergit autem inde, quod **CICERO** optimum Deum esse, propter perfectionem hominum menti concessam dicit, recta summae in Deo bonitatis notio. Inest enim eo, quum Deus rebus ab se creatis, quicquid in eas perfectio- nis potest cadere, dedit. Itaque quicquid nobis omni in vita boni euenit, id Dei tribuendum bonitati: vnde **CICERO**, quicquid magnam, inquit, utilitatem generi af- ferret humano, id non sine diuina bonitate erga homines fieri, veteres arbitrabantur (mm)

## VII

(hh) *Fragment. Timaei cap. III*

(ii) *De Divin. Lib. II, cap. 60*

(kk) *De Nat. Deor. Lib. III, cap. 39*

Conf. *De Divin. Lib. II, cap. 14*

(ll) *Fragment. Timaei cap. VIII*

(mm) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 23*

XIII

BONITAS ad sapientiam exacta et temperata, iustitia dicitur. est igitur Deus iustissimus. Respondet huic propositioni istud CICERONIS: in Diis aequitatem praeceps vigere. (nn) Exserit se autem quam maxime diuina iustitia in bonis muneribus afficiendis, ac rependis ab fontibus poenis. Quamobrem Philosophus, Deus, inquit, piorum et impiorum rationem habet (oo)

VIII

SANCTITAS omnem a Deo imperfectionem, et quicquid eidem repugnat, remouet. CICERO, eandem meditans, fieri non posse ait, quin nequitiam dii sceleraque auersentur (pp)

VIII

BEATVM Deum esse CICERO his verbis ostendit: Quae natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos et beatos habemus. (qq) Nec potest etiam sumi, summis Deum perfectionibus instructum esse, nisi concedatur, eum semper iisdem frui. Sed EPICVRVS erroneam, quam de voluptate suscepserat opinionem; ad Deum etiam transfluit. quod male CICERO fert; et propterea cum METRODORO (rr) eum comparat, ENNIUSQUE (ff) vrget spiculis.

B 3

Con-

(nn) *Consol. Op. Tom. IIII, p. 325*

(oo) *De Legib. Lib. II, cap. 7*

(pp) *Consolat. Op. Tom. IIII, p. 325*

(qq) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 17*

(rr) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 49.*

METRODORVS Chiuis, DEMO-

CRITI auditor, qui acriter in TIMOCRATEM animadvertisse fertur, quod dubitet omnia, quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri. EPICVRVS eandem videtur tibiam

## XIII

Conuellit etiam hanc EPICVRI sententiam: quicquid beatum sit, id nec habere, nec exhibere cuquam negotium; et quum quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimauerat. (tt) Atque his extricatis: utatur Deus, inquit CICERO, suis bonis aportet, et fruatur, quum beatus est. (vv) qua in propositione ipsa etiam beatitatis finitio continetur

## X

QVVM vero perfectiones in Deo omnes, que quidem simul esse sine pugna possunt, nullis limitibus inclusae adsint; fieri non potest, quin perfectissimus Deus sit. CICERO idem asserturus, *praefrantiae* vtitur pro perfectionis vocabulo; et *praefamissimum* ait genitorem esse. (ww) Idem maxime est sibi sufficiens, quod alii non est naturae *subiectus*; (xx) nec alia ylla re eget

## SECTIO

tibiani inflasse: hunc enim in modum de voluptate exponit: Se ne intelligere quidem *vol-*  
*lum bonum, quod sit seu* *ntum a* *delicatis et obsoconi* *voluptati-*  
*bis*, ibid. cap. 40. Nisi hoc de EPICVRI affectis accipi-  
*endum. Interim tamen CICERO* testatur, eius afferri eos,  
*qui nomen huic sectae dede-*  
*rant, puduisse*  
 (ff) ENNIUS apud CICERONEM

*De Nat. Deor. Lib. II, cap. 18,*  
*ait, EPICVRVM, dum palato,*  
*quid sit optimum, iudicet, cat-*  
*li palatum non suspicisse*

(tt) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 31.*  
*conf. De Nat. Deor. Lib. I,*  
*cap. 36*

(vv) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 36*  
 (ww) *Fragment. Timaei cap.*  
*VIII*

(xx) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 30*

SECTIO III  
DE OPERIBVS DIVINIS

## I

**M**VNDVS hic ad Deum architectum et aedificatorem (yy) pertinet; estque adeo a Deo creatus. Negat autem CICERO, vlla ex re mundum ortum esse. Notauit enim hoc nomine EPICVRVM, quod in atomorum cohaesione mundi quaesiverat originem; (zz) quod facere non potuisset, si fuisset ea in opinione constitutus, mundum hunc, aliqua ex materie fuisse efformatum. Potissimum autem id inde elucescit: quum Deum, qui haec machinatus est, originem ait rerum, et motiōnē nouam quaesuisse. (a) Si enim originem Deus rerum quaesuit, non potest ea ex vlla re, quam Deus non creauerit, repeti. Vniuersitate etiam Deo conditori omnes omnino res creatas CICERO vindicat. quo idem confirmatur. *Deus est, inquit, architectus tanti operis tantique muneris.* (b) quā nouissima loquela prouidentiam innuit. *Ego operum patens, ita Deum facit loquentem, effectusque sum: Deis omnia genuit.* (c) Quo autem istud vocabulum genuit intelligendum sit, ex antecedentibus perspicitur, vbi *creata a Deo omnia esse* dicit. Atque ex his iunctim summis apparet, recentiores inter Sophos et CICERONEM conuenire: nulla ex re, (*nihil priuatuum vocant,*) mundum esse a Deo confectum

## II

(yy) Fragment. Timaei l.c.

(zz) De Nat. Deor. cap. VIII

(a) Fragment. Timaei cap. III

(b) De Nat. Deor. Lib. II, cap. 35

(c) Fragment. Timaei cap. XI

II

Nec praeterendum; Deum non modo substantias, quas vocant, creasse; sed agendi etiam viribus easdem instruxisse. Reete itaque se istud **CICERONIS** habet: *Omnia diis immortalibus accepta referri debere, quorum ope homo viruit, intelligit et agit.* (d) Ergo et hominibus a Deo est vis agendi data. Sed metam illam et veluti cancellos, intra quos se omnes omnium spirituum, si a Deo discendas, perfectiones continent, male in Dei reposueris affectionibus. Neque enim illi limites, a Deo sunt profecti; sed in quodam sunt defectu positi: creare autem et efficere defectus in repugnantibus est. **CICERO** illis malis (e) imposuit nomen, qua in re Philosophos recentiores habet sequaces; qui eos metaphysicum solent malum conuocare. Testatur autem **CICERO**, Deum nihil omnino mali huic mundo admisere voluisse, quoad eius per rerum naturam fieri posset. (f) Nempe hoc sibi vult, honeste limites ex ipsa natura rerum ac indole profici. Fac enim ita aliquid a Deo creatum esse, cui summus competit omni in re perfectionis gradus; nec limitibus sit ullis inclusum: iam id non res creata erit, sed ipse Deus: vnu namque Deus perfectissimus est

## III

**CICERO**, postquam per varia eundo rerum genera, vberem earum et insignem usum meditatus esset, haec effundit: *Sic undique omni ratione concluditur, mente consilioque diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conseruationemque admirabiliter administrari.* (g) Qui-

bus  
d) *Consol. Op. Tom. IIII, p. 307*    (f) *Fragment. Timaei cap. III*  
e) *Fragment. Timaei cap. III*    (g) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 53*

bus verbis, eidem qui omnia creavit Deo, rerum quoque  
creatarum sustentationem ac conseruationem tribuit. Er-  
go causa, vt iam persistat mundus, in ipso mundo non  
continetur. Iam conseruationem Dei decreto absolui, ci-  
cero consilii voce videtur innuisse. Huc etiam spectant  
eiusdem verba haec: *Deorum numine hoc tantum imperium retinetur.* (h) Potest enim numinis vocabulum  
commode ad decreta transferri: quod *numen quasi nutus*  
*Dei, festo auctore, ac potestas dicitur*

## III

**CONSERVATIONE** Dei sublata, futurum esset, vt  
in fumum omnia verterentur penitusque interirent. Idem  
CICERONEM sensisse ex his potest verbis elici: *Non alit*  
(diuina vis hominem) vt, *cum exantlauerit omnes labores*,  
*tum incideret in mortis malum sempiternum.* (i)  
Homines enim post fata superstites qua animam fore, in-  
de confirmat, quod diuina virtute conseruantur; quae ni-  
si esset, intereundum homini foret. Ergo quod res crea-  
tae manent atque durant, vni Deo debetur

## V

CICERO ea est in opinione constitutus, mundum  
quem Deus creavit, non interitum. Colligit hoc inde,  
quod mundus in nihilum redigi a nemine, nisi eius au-  
tore potest. *A nemine*, inquit, *nisi abs quo colligatus*  
*est mundus, dissolui potest.* (k) A Deo autem alienum  
putat esse id, quod bonitate ductus effect, euertere et  
rescidere. *Hautquam*, inquit, *boni est, ratione vin-*  
C *dum*

(h) *Orat. Haruspic. respof.*(k) *Fragment. Timaei cap. II*(i) *Tusc. Quaest. Lib. I, cap. 49*

## XVIII

*Eum velle dissoluere.* (1) Faciunt hac in re cum cicerone recentiores Philosophi fere omnes. Putau erim autem, sanam rationem etiam admittere debere hoc : posse omnino mundum, si molem eius ac bruta animantia, non homines et angelos species, a Deo dissolui tunc, quando finem, ob quem eum condidit, fuerit assequutus. Et si etiam vel maxime in Philosophicis sit vero simile, mundi molem non interituram : inde tamen detorquenda non sunt ac alienum in sensum flectenda diuina S. Scripturae oracula, quae caelum et terram prorsus interitura esse ostendunt. Optima enim quaeque Philosophia hic se titubantem emendari et perfici patietur

## VI

**CONCURSUS** Dei, quem vocant, eo ineft, quando efficit Deus, ut res creatae et homines potissimum, vires agendi, quibus eas donauit, agendo demonstrent. CICERO eam rem paucis verbis concepit : *In hoc, inquit, mundo fieri sine Deo nihil potest.* (m) Atque nomen adeo concursus, non rem, ignorat. Continuat autem idem argumentum, in eis, quae verba excitata consequuntur. Nam in iis etiam, quae sunt *notiora*, Dei partes esse statuit : et quanto itaque magis, ita colligit, rebus in *illustrioribus*, diuina se vis conspiendam praebet ? Sed non vna est huius concursus apud omnes ratio ; vnde in generalem est et specialem distributa. Ac de illa quidem CICERO his in verbis exponit : *Sine Deo nihil fit : quae geruntur deorum geruntur vi, ditione ac numine :* (n) *nemape*

(1) Fragment, *Timaei cap. XI*

*Lib. III, cap. 10*

(m) *Tusc. Quaest. Lib. I, cap. 25,* (n) *De Leg. Lib. II, cap. 7. conf.*  
*in fine : item De Nat. Deor.* *Tusc. Quaest. Lib. I, cap. 25*

XVIII

nempe Deus agendi vires conseruat; quod libertati hominum in agendo minime repugnat. De speciali autem concurso haec commemorat: *Nemo mirari deber, humana consilia diuina necessitate (mallem vi) esse superata.* (o)  
Quibus ex verbis vnicum hoc velim sumi: posse etiam Deum ita ad actiones hominum concurrere, ut hoc agant, non aliud quid.

VII

*SI ITAQVE* verum est, nihil in mundo euenire, nisi permittente vel efficiente Deo; et omnia adeo gubernat; praesentia autem vinis est ad alterum qua effectio-nes relatio: consequitur inde, Deum esse ubique praesen-tum. *Itaque in foro, nobiscum dicit immortales, in viis versantur et domi.* Haec CICERO. (p) Istud autem, eodem auctore, non eo est intelligendum, quasi se nobis offerant: sed ita accipendum; eos vim suam longe late-que diffundere (q)

VIII

MODERATOR omnium rerum est Deus, (r) et quae geruntur geri eius numinis certum est. Patet ex his CICERONIS verbis, gubernationem eo inesse, quando Deus omnia euenta ad finem ab se constitutum flecit. Alio in loco ita de gubernatione exponit: *Dei ope et auxilio mul-to magis, quam ratione hominum et consiliis respublica gu-bernatur.* (s) Non itaque tollit Dei gubernatio rationem hominum et consilium, sed efficit, ut in aliquod bonum

C 2

ver-

- (o) *Orat. pro Q. LIGARIO Op. Tom. II, p. 431* (r) *De Leg. Lib. II, cap. 7*  
(p) *Op. Tom. II, p. 234. conf. ibid.*  
(q) *ibid.* (s) *De Diuin. Lib. I, cap. 36* p. 323

## XX

vergant; estque adeo libertati hominum consentanea. Ut autem late gubernatio pateat his verbis CICERO ostendit:  
*Diuina mente atque natura mundus uniuersus, eiusque partes, administrantur* (t)

## VIII

**D**EI prouidentia ac vis, quae saepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit: quae illam, quae nobis imminebat perniciem extinxit ac sustulit; deorum immortalium cura res illa. (v) Iusta est in his CICERONIS verbis et plena prouidentiae notio reperiunda: nempe ea est Dei cura, qua omnia omnibus rebus creatis bona confert, qua natura eorum patitur, et fini suo respondet. Deinde CICERO data opera ostendit, ne vnum quidem hominem esse, ad quem Dei prouidentia non pertineat. Stabit illud, inquit, *Deorum prouidentia omnem administrari mundum; eosdemque confulere humanis rebus, nec solum uniuersis, sed etiam singulis.* (w) Atque haec verba COTTAE potissimum obmouet, qui dixerat, *deos minorum negligere, viri utemque acceptam Deo non esse ferendam.* Et poterant sane CICERONIS verba nuda, istam sententiam frangere: quod COTTA aliam nullam rationem, praeterquam hanc adduxerat: *Ne in regnis quidem, Reges minima curant*

## X

FORTUNA in colligatione earum cauillarum reponitur, quarum efficiens in actionibus hominum liberis non continetur; et unde quaedam ad eos aut perfectio, aut imper-

(t) *De Fin. Lib. III, cap. 5*

(v) *Op. Tom. II, p. 418*

(w) *De Nat. Deor. Lib. III, cap.*

*35 & 36*

imperfeccio reddit. CICERONI autem fortuna est id, quod efficit multa improuisa, nec opinata nobis propter obscuritatem, ignorationemque caussarum. (x) quae finitio, quantumuis aliquanto latius ista altera patere videatur, tamen et ipsa idonea est, et popularitatem sapit; quae si adhiberi in finiendo, saluis definitionum legibus possit, maximi est facienda.

## SECTIO IIII

## DE CVLTV QVO DEVS PROSEQVENDVS EST

## I

DEVM colendum esse, inde Philosophus demonstrat, quoniam iustam venerationem habet quicquid excellit. (y) Ex Dei itaque cognitione cultus Dei omnis et actiones propter eum suscipienda pendent. Vnde etiam eius finitio erui facile potest. Vnum autem fere ac eundem significatura CICERO vocabulis, *cultus, sanctitas, religio*, videtur subiecisse. (z) Nec Dei cultum alium internum esse, alium externum diserte commemorat: nisi huc referre voles, CICERONEM dixisse: *Deos nos colere, precari, venerarique*; (aa) atque eo animo ista se iuncta ab eo esse existimes, vt ostendat, alium cultum externis erga Deum pietatis officiis ac religionibus confiniri; alium vero in precibus fundendis, animo pio et obsequio, positum esse. Exigit autem Deus ab homini-

C 3 bus,

(x) Acad. Quæst. Lib. I, cap. 7

(z) De Nat. Deor. Lib. I, cap.

(y) De Nat. Deor. Lib. I, cap. 17

41 &amp; 42

(aa) De Nat. Deor. Lib. I, cap. 42

bus, ut suum Numen colant. Quamobrem CICERO ait, hominem *ad cultum deorum aptissimum* (bb) esse, qua ex aptitudine, Dei, qui homines ea instruxit, intentio perspicitur. Pergam ad aliud recentiorum Philosophorum assertum. Quicunque Deum casta et recti conscientia colit, ad eum maxima ex Dei bonitate dona et permanentis beatitas redibit: grauissimas autem, qui eum intermittit, poenas luet. Id pariter CICERO affirmit: *Qua quisque, inquiens, mente, qua pietate colat religiones, Deus intuetur: piorum et impiorum habet rationem.* (cc) In lege item apud Romanos lata legitur: *Ad diuos adeunso caste. Qui secus faxit, Deus ipse iudex erit* (dd)

## II

*QVVM autem omnium hominum sit, Deum venerari; et omnes eius ditioni sint subiecti, recte CICERO dominum (ee) esse Deum docet. Sustinent autem homines seruorum est subditorum rationem*

## SECTIO V DE MALI ORIGINE

## I

**M**ULTVM philosophorum ingenia locus de mali origine exercuit: quod aliquanto impeditor est. Itaque de eo ex instituto verba faciam. Ducam vero initium a dueisfa mali notione. De metaphysico malo iam

in

(bb) *Fragment. Timaei cap. XII:* (dd) *De Leg. Lib. II, cap. 8*  
 conf. *De Leg. Lib. II, cap. 10* (ee) *De Leg. Lib. II, cap. 7*  
 (cc) *De Leg. Lib. II, cap. 7*

in antecedentibus quaedam praelibauit: nempe eo inest,  
quod spirituum a Deo creatorum perfectio habet quo persi-  
stat, estque finibus circumscripta, quos ultra citraque  
progredi nequit. Atque hoc omnino sensu CICERO vo-  
cem mali in interpretationis Timaei, Dialogi Platonici,  
Fragmento (ff) usurpauit. Istud vero malum abesse ab  
homine non poterat, nisi quando Dei subiret naturam,  
et ipse Deus euaderet. Itaque CICERO, ut ostendat,  
istud malum euitari non potuisse, Deum, inquit, consi-  
tuisse mali nihil admiscere, quoad natura pateretur. (gg)  
Deinde refert MEDEAM ac ATREVM subducta ratione,  
nefaria scelerata meditasse. (hh) Vnde illud commode  
potest deduci, ex ignorantia proficiendi errores posse:  
quando quis bonis annumerat ac appetit, quod malum est,  
(de morali malo loquor;) atque idem etiam committit.  
Ostendit enim CICERO, peccatum omne ingenii culpa  
nasci, in Tusculanis Quaestionibus: (ii) quando quis  
non omnia vtrinque considerat; sed se specie patitur du-  
ci. Hinc moralis mali, quod naevus est admissus, vi-  
tium, ac omne id, quod legi naturae repugnat, ex me-  
taphysico ortus patet. Prorsus autem impium foret, ad  
Deum sanctissimum mali caussam referre. Ratio enim,  
eaque sana, data nobis est a Deo; sed bonam, ut CICE-  
RO ait, rationem aut non bonam a nobis (kk) habemus.  
quae verba hunc in modum exposuerim: hominis fuit,  
num prouide omnia ad rationis sanae praecepta exigere, eam-  
ue recte usurpare; an vero praeiudicatis opinionibus, et iis  
quae specie bona sunt, mancipare rationem vellet; non Dei.

Im-

(ff) Cap. III

(ii) Lib. III, cap. 1

(gg) Ibid

(kk) De Nat. Deor. Lib. I, cap. 28,

(hh) De Nat. Deor. Lib. III, cap. 29

conf. De Leg. Lib. I, cap. 12

## XXIII

Impugnat autem hoc scitum **BALBUS** apud **CICERONEM**. Immo mali caussam in Deum deuoluit: nam *peſtiferam* dicit rationem, et eam *cum pernicie* hominibus dataim esse arguit. Putat etiam satius fuisse, *nullam omnino hominibus datam esse rationem*. Contra **CICERO** excipit; rationem homini non modo, non in malum vergere, sed salutiferam quoque esse; si modo recte ea vtatur; nec sua sibi sponte malum arcessat (II)

## II

**CULPAM** poena consequitur. Qui igitur cunque peccatorum est labo infectus, poenas Deo dabit; easque grauissimas. Atque potissimum male factorum conscientia fontes diseruati. *Sua quenque fraus*, inquit **CICERO**, et *suis terror maxime vexat*, *suum quenque scelus agitat*: *suae malae cogitationes*, *conscientiaeque animi terrent*: haec sunt impis assidue domesticaque furiae, quae dies noctesque parentum poenas a conseleratissimis filiis repeatant. (mm) Ac haec poena, ita est ad delictum adstricta, ut ab eo nulla arte diuelli possit. Alia poena, qua Deus odium in fontes demonstrat, in Dei est arbitratu posita, *arbitrariam* vocant. Suppetunt de ea haec apud **CICERONEM** verba: *Quis potest non et dies et noctes diuinum numen horrere, et si quid aduersi acciderit, (quod cui non accidit?) extimescere, ne id iure euenerit?* (nn) Semper autem delicti et grauitatem; et eius qui id commisit cognitionem, diuina vindicta respicit: ita ut poenas inter et delicta aequalitas et quasi libramentum obtineat. Ea propter **CICERO** Deum ait

(ll) *Fragment. Timaei cap. XII* (nn) *Acad. Quæſ. Lib. IIII, cap.*  
(mm) *Op. Tom. II, p. 19* 38

ait delictorum rationem (oo) habere. Iustitia igitur Dei poenas repetit ab fontibus, eaque his declaratur, quare perennes etiam et perpetuae esse debent. Nam earum poenarum, quae ad hanc vincere vitam pertinent, est etiam finis hic, ut illi, qui flagitia in se admiserunt, iis commoueantur, ad quaerendum medium, quo Deus conciliari possit; vtue ad meliorem frugem redeant (pp)

---

III

NEC CICERONEM praeterit, impediuisse omnino Deum omne malum morale, suppeditando hominibus momenta voluntatis, ut ne quid peccarent, quod moralem dicunt *impeditiōnēm*. Ait enim CICERO, designasse Deum; id est mentibus hominum insculpsisse, eum, qui nulla culpa paleceret, sempiternam beatitudinem consequuturum: contra eum, qui pugnantia cum lege naturae pataret, poenis grauissimis affectum iri: haec, inquam, declarasse Deum CICERO testatur, sēque, si quid postea fraudis evenisset, extra omnem culpam causamque posuisse (qq)

---

III

QVM autem rationem Deus hominum generi impertitus sit; atque adeo penes homines esset, num bonam (rr) eam ferrare, an adulterare vellet: externa quidem vi Deus malum propedire non potuit, ut ne quam hominum libertati vim inferret. Esse autem prorsus neminem alienum a culpa et immunem, his verbis CICERO docet:

D Sunt

(oo) *De Leg. Lib. II, cap. 7*

(qq) *Fragment. Timaci cap. XII*

(pp) *Fragment. Timaci cap. XII*

(rr) *De Nat. Deor. Lib. III. cap. 28*

XXVI

*Sunt quidem ingenii nostris semina innata virtutum: quae si adolescere liceret ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret: nunc autem, simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo prauitate, et in summa opiniorum perueritatem versamur: ut paene cum lacte nutritis errorrem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditis, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. (II) quibus ex verbis etiam intelligitur, sine vitiis nasci neminem*

SECTIO VI  
DE PATEFACTONIS DIVINAE  
NECESSITATE

I

*A*nimi labes nec diuturnitate vanescere, nec annibus ullis elui potest: (tt) iam quum nemo culpa careat, poenae pariter omnibus in omnem perpetuitatem sunt luctuendae. Nec potest hominum gens, tantis ex malis suo nisu emergere. Nam ipsa ratio modum, quo peccata expiari, et Deus homini possit reconciliari, ignorat. Ergo omnis spes in una Dei probitate stat; si nempe quam forte sui conciliandi viam ostenderit. Itaque ea est omni contentione querenda, et ubi reperta fuerit statim ingredienda. CICERO certo statuit, esse aliquod medium salutis recuperandae homini datum; et velle etiam Deum, ut vtantur eo omnes. Testatur enim, *Deo nihil minus*

(ff) *Tusc. Quæst. Lib. III, cap. 1* (tt) *De Leg. Lib. II, cap. 10* gratum

grarum futurum esse, quam non omnibus patere ad se pla-  
candum viam : (vv) sed in eo valde errarit, quum sacri-  
ficiis vnice et litando Deum posse placari existimauit. Un-  
de patet CICERONEM Dei cognitionem, a natura pro-  
fectam, non recte adhibuisse

## II

PASSIM etiam CICERO, quae forent reuelationis,  
si qua sit, criteria, commemorat. Primo enim dignum  
putat Deo, pro bonitate et praestantia sua esse, ut homi-  
num genti, quae ignorat et olim euentura sunt, indicet.  
(ww) qua in re Stoicorum vestigia pressit. Deinde dispi-  
cit, vtrum diuinatio, an extispicium, et si qua alia haru-  
spicum arte continentur, hue sint referenda, quam tamen  
quaestionem in suspenso relinquit. (xx) Praecipuum au-  
tem eius criterium facit hoc : Non si quid dii significant,  
nullas dant nobis vias ad significationum scientiam : fru-  
stra enim significant. quo innuit hoc ; si qua sit reuelati-  
o, eam hoc modo fieri oportere, quem homines pro di-  
uino habere possint. Modum autem, se per somnia pate-  
faciendi, non esse directo equiparandum, opinatur.  
*Quid opus, inquit, est, circuitu, et amfractu, ut sit utren-  
dum interpretibus somniorum potius quam directo ? Deus*  
siquidem nobis consulebat : hoc facto, hoc ne feceris,  
diceret (yy)

## D 2

## Decla-

(vv) *De Leg. Lib. II, cap. 10*

(ww) *De Diuin. Lib. I, cap. 27 :*

item *de Diuin. Lib. II, cap. 48*

(xx) *De Diuin. Lib. II, cap. 3.*

Argumenta pro divinatione  
militantia vide *de Diuin. Lib.*

*I, cap. 38*

(yy) *De Diuin. Lib. II, cap. 61*

XXVIII

Declamabunt hac vice iuuenes quinque

**Ioh. RUDOLPHVS ALBERTI** oratione Theotisca, suo  
vnius Marte elaborata, vincet, amicitiam esse in  
bis, quibus gloria nominis Dei collustratur; et  
vale etiam Scholae nostrae dicet. Optimam sane  
spem de praestantissimo hoc iuueue animo conce-  
pi: siquidem non leues iam progressus in studiis  
manufuctioribus fecit. Efficiat Deus, vt ea qua  
coepit via perget; et ad intimorem aliquando  
humaniorum et diuinorum literarum intelligentiam  
enitatur

**LUDOVIC. FRIDERICVS GRVELMANN** sua de insigni  
diuinae religionis praeflantia proferet. vtetur et  
ipse lingua vernacula

**Ioh. CHRISTOPHORVS KÜHNE** sua in declamatione a-  
get de caussis, ob quas Deus his, qui ita viuunt,  
quemadmodum ipsius finis fert, multum infortunii  
euenire permittrit. dicet autem Latine

**Ioh. GEORGIVS ENGEL SCHMIDT** Latinis verbis id-  
neam eius quod vnde est notionem effinger et vindicabit.  
Ac tandem

**WILH. GEORG. CHRISTOPHORVS SEIDEL** orationem  
suam de eo, vt magnus bonus habendus sit liber-  
tatis assertoribus recitatib; et quidem lingua Teu-  
tonica

Itaque quam obseruantissime a Patronis et Fautoribus plu-  
rimum colendis peto, vt hosce iuuenes a d. X April. hor.  
X declamantes, stipare pro sua humanitate velint. Scrib.  
Helmstadii a. d. VI April. A. R. S. cclviii

DD A 6427

ULB Halle  
002 927 292

3



WDA8

R



## Farbkarte #13



ROLV SIO  
DE  
ALI THEOLOGIA  
LLII CICERONIS  
O III. III. V. VI  
QVA  
RES REI SCHOLASTICAE  
AVTORESQVE  
AD  
M ORATORIVM  
HOR. X IN SCHOLA SENATORIA  
SVSCIPIENDVM  
VANTISSIME INVITAT  
DVS NAHMMACHER  
E OPPIDANAHE HELMSTADIENSIS ET  
I MARIAEVALL. SVBPRIOR  
HELMSTADII  
IS DRIMBORNIANIS